


DESCRIPTIONIS  
INDIÆ OCCIDENTALIS,  
LIBER DECIMUS TERTIUS.  
MAGALLANICA.

## C A P. I.

Magallanicæ Provinciæ limites & generalis descriptio.



UPERIORI libro Chilensem Præfecturam absolvimus, sequitur nunc Magallanica: hujus autem nomine vulgo cœsentur provinciæ illæ & Regiones, quæ ad Mare quidem Australe, à Præfectura Chilensi, sive quadragesimo tertio aut quarto gradu ab Äquatore versus Austrum, ad Fretum Magallanicum sive ad quinquagesimum tertium ejusdem latitudinis gradum aut etiam ultra excurrunt: ad Mare vero Septentrionale sive Atlanticum quæ ab ingenti Fluminis *de la Plata* æstuario, ad idem Fretum pertinent. Vastæ quidem & amplissimæ regions, sed parum velsecundum oram utriusque maris cognitæ, nullatenus autem haetenus in mediterraneis vel lustratæ: Conditionis vero variæ, sive cœli sive soli qualitates spectes; nam quo magis ab Äquatore versus Polum Antarcticum divergunt, horridæ asperæque sunt & incultæ, & acerrimo frigori obnoxiae, præsertim qua Fretum Magallanicum attingunt, ubi plerisque anni mensibus videre est juga montium alta & perenni nive contecta; cætera suis locis commodius persequemur.

Porro in hac parte Americæ Australis describenda tria à nobis præstabuntur, nam primo describemus illam partem, quæ Oceanum Meridionalem sive Pacificum attingit, ab extremis Præfecturæ Chilensis finibus ad Fretum usque Magallanicum; deinde ipsum Fretum Magallanicum, & alterum illud quod superioribus annis à Belgis nostris inventum & perlustratum est, quod vulgo *Lemarium* appellamus: tertio denique illam partem quæ à Freno Magallanico, ad magnum æstuarium Fluminis *de la Plata* pertingit.

Priorem partem à solis Hispanis haetenus lustratam & obiter delineatam inventio: nam Angli & Belgæ nostri qui per Fretum Magallanicum in Oceanum Australem penetrarunt, aut ab ora hac penitus abstinuerunt, aut tantum obiter sunt præterveerti. Primus autem Hispanorum, qui è Mari Australi per Fretum Magallanicum in Mare Atlanticum regredi est conatus, fuit Tribunus militum *Ladrillerus*, qui *Garcia de Mendoza*, Chilenis provinciæ Præfeti jussu, ex Chilensi provincia profectus, Fretum quidem Magallanicum est ingressus, illudque ad Septentrionalem usque Oceanum penetravit, sed Fretum egredi nequaquam ausus ob ingruentem in illis partibus hyemem & savas tempestates, eadem pene via, quæ venerat, ad Chilensem præfecturam est reversus.

Hunc sequutus est *Petrus Sarmientus*, à *Francisco Toletano* Peruviæ Pro-Rege missus, postquam fortissimus Eques *Franciscus Dracus* per Fretum Magallanicum in Oceanum Meridionalem penetrasset & opulenta spolia pluribus navibus interceptis & direptis ex illo mari abduxisset. Qui Sarmientus quum duabus cum navibus è Peruvia esset profectus, cum una quidem nave per Fretum Magallanicum in Hispaniam pervenit; altera autem illius navis, antequam Fretum ingredi posset, à tempestatis & æstuoso mari versus Polum Antarcticum abrepta, ad quinquagesimum & sextum Australis latitudinis gradum pervasisit, neque tamen illas terras, ut

scribunt obvias habuit: tempestate vero remittente vela versus Arctum convertit, & licet alveum patentem inveniret, qui haud dubio in Fretum Magallanicum definebat, tamen navalib[us] sociis refragantibus, eundem ingredi prætermisit, sed voti irritus ad Chilensem Præfecturam rediit. Quia autem hæc Petri Sarmienti navigatio primum lucem aliquam huic Magallanicæ parti attulit, illam hic compendio inseremus, quemadmodum à Leonardo ab Argensola descriptam invenimus libro tertio cap. xi. operis sui, quod inscribitur, *Conquista de las Islas Malucas*, & impressum fuit Hispanico idiomate Madriti anno Domini cīo Io cīx.

## C A P. II.

10

Petri Sarmienti *navigatio secundum oram Magallanicæ ad mare Australē sitæ*, è commentarii Leonardi de Argensola.

**P**ostquam Franciscus Dracus in Oceanum Australē hactenus ab aliis nationibus, præter Hispanos, intentatum, per Fretum Magallanicum penetrasset; à Francisco Toletano Peruviae Pro-Rege duæ naves instructæ fuerunt, iisque Petrus Sarmientus præpositus, ut Dracum cum suis, quem ad Fretum Magallanicum reverti communis opinio erat, persequeretur. Sarmientus cum utraque navi è Callao Limæ portu solvit mense Octobri anni cīo Io LXXIX: & Kalend. Novembris insulas conspexit quas Hispani vulgo *Desuenturadas* vocant, viginti quinque gradibus ab Äquatore versus Austrum, ut ille observat, anno primum cīo Io LXXIV à Joanne Fernandez dum Chilen è Peruvia peteret, casu inventas, quæ hodie *S. Felix* & *S. Ambor* dicuntur. Hinc ad Continentem divergens, in illius conspectum primum venit novem & quadraginta gradibus & triginta scrupul. ab Äquatore versus Austrum: hic appellens & difficulter admodum in littus egressus, vestigia quidem hominum, sagittas, remos & retia offendit, cæterum ipsos barbaros nusquam conspexit: dein magno labore ad summa montium juga enixus, oras omnes variis alveis & sinibus lacinatas, & plurimas insulas continentis objectas, despexit, ita ut non dubitaret hic Archipelagum insularum esse (quarum supra octuaginta ab illo fastigio dinumerare poterat) & hac transitum quoque patere ad Fretum Magallanicum fuit opinatus. Portu nomen *Nuestra Sennora del Rosario*, vicinæ insulæ *S. Trinitatis* nomen inditum & consuetis ceremoniis possessio harum terrarum Regi Hispaniarum vindicata: Dehinc cymba canalem qui insulas inter & continentem labitur ingressus, portus omnes, stationesque lustravit & variis locis nomina imposuit, præsertim uni cui à vicini amnis arenis, portus *Bermejo*, id est, rubri nomen indidit: hic quoque hominum vestigia reperta fuerunt: alvei autem omnes qui insulas interluunt piscoi sunt, & præsertim grandibus ostreis fæti, in quibus & uniones repertæ, sed maximam partem subfuscæ.

A portu *Bermejo* proiecti sinum quendam intrarunt, cui *S. Francisci* nomen imposuerunt; quem mons satis editus ad Austrum cludebat, quem *Punta de la Gente* dixerunt, quia hic primum barbaros aliquot viderant, totum corpus rubrica quadam tintos, quorum unus quem invitum in cymbam pertraxerant, paulo post natando evasit: Dein rursus innumeræ pene insulas adierunt, omnes autem incultas; tandem quum ad sinum *Nuestra Sennora de Guadalupe*, uti vocant & promontorium quod illum sinum claudit pervenissent, ibidemque tantum unum humile tuguriolum deprehendissent, stipitibus undique septum & corticibus arborum atque luporum marinorum coriis desuper tectum, nullis præterea barbaris conspectis, ad navem suam remearunt.

Deinceps cum navi tantum sua profectus (nam altera jam ab ipso aberraverat) portum *Misericordia* & tribus ab hoc leucis portum *Nuestra Sennore de Candelaria* tenuit & tandem Insulam *S. Iñes*: (hæc nomina tunc locis illis indita) ubi quinque barbaros invenit, qui signis quibusdam ipsi significarunt, haud procul inde in anchoris constitisse duas naves, quibus homines barbati vehebantur, qui vestiti erant ad Hispanorum modum: De Anglis quos quærebant loqui ipsis visi fuerunt.

Hinc ad Eurum conversus insulam adiit quam barbari *Puchachailgua*, itemque alteram

alteram quam *Cayrayxa xyigua* nominabant & tandem alveum ingressus, cuius æstuarium *Xaultequa* appellabant, rursus in innumeris insulas incidit, quarum unam barbari *Tinquichisqua* dicebant, *Sarmientus* verò Insulam *S. Crucis* appellavit; atque ita unam atque alteram insulam prætervectus, insignem portum subiit, & è vertice montis per pulchram urbem despicere sibi visus fuit ad Europæum modum ædificatum, & in ea plurimum virotum in arthis.

Hinc iter suum prosecutus est ad cornu quoddam quatuor & quinquaginta gradibus ab Æquatore versus Austrum, quod *S. Isidoro* appellavit: hinc conspicere erat flammivorum quendam montem, perenni nive desuper tectum; dein canalem enavigans pervenit ad *S. Annae* cornu, tribus & quinquaginta gradibus & triginta scrupulis ab Æquatore versus Austrum, ubi crucem erexit & literas ad pedem illius depositus, quibus cæteris omnibus nationibus denuntiabat, has regiones Hispaniarum Regis proprias esse & consuetis ceremoniis possessionem illarum à se vindicatam, secundum bullam donationis Alexandri VI Pontificis Romani.

Flumini quod pone dictum cornu in Fretum Magallanicum descendit, nomen *S. Ioannis* imposuit & Freto Magallanico quod insulas interluit *Madre de Dios*. Angustiis autem Freti ad altitudinem trium & quinquaginta graduum & triginta scrupulorum ab Æquatore versus Austrum *Nuestra Sennora del Valle* nomen indidit. Hic cum indigenis cruentum certamen aggressus, non ignobilem victoriam reportavit. Et in Continentem descendens, regionem hanc *Nuestra Sennoram del Valle* itidem appellavit & quum in summum montem ascendisset, amoenissimam planiciem sibi despicere visus fuit & quamplurimos pagos, ædificia magnifica & altas turres, deniq; splendida templo, ita ut oculis suis vix crederet, & magis urbem quandam in aëre quam in terris sibi conspicere videretur.

Nullus dubito quin qui hæc lecturi sunt, & cum iis quæ secundum rei veritatem ab aliis referuntur comparabunt, judicaturi sint *Sarmientum* hunc vanissimum hominem fuisse & de aliorum credulitate nimis securum.

Denique Freto Magallanico enavigato, Brasiliam petiit & tandem in Hispaniam pervenit, quæ autem ibi Regi suo persuaserit & quæ inde sequuta fuerint, paulo post dicturi sumus.

## C A P. III.

*Oræ hujus omnis à Chilensis præfecturæ finibus ad Fretum Magallanicum descriptio ex Herrera.*

**S**UPERIORI libro oram hujus Continentis ad Mare Australis sitam perduximus ad Promontorium *S. Felicis*, à quo porro secundum *Herreram* in hunc modum jacet: à dicto Promontorio ad cornu *S. Cypriani*, leucæ numerantur quatuordecim inter Arctum atque Austrum.

d.8.lib.7.  
cap. III.

Ab hoc cornu ad cornu *S. Clara* quatuor leucæ.

Inde ad Promontorium insularum vulgo *Cabo de las Islas* decem leucæ.

A quo ad Insulam *Nuestra Sennora del Socorro* sunt octodecim leucæ: hæc insula exiguo intervallo à continente disjungitur: ab illa paululum versus ortum declinando ad portum *S. Dominici*, statuuntur sex leucæ; à quo ad promontorium *Didaci Gallæci* novemdecim leucæ, quod sex & quadraginta gradibus dicitur abesse ab Æquatore versus Austrum.

Ab hoc Promontorio ad portum *S. Stephani* duodecim sunt leucæ & à portu hoc ad promontorium *S. Andreæ* sex leucæ: septem & quadraginta grad. ab Æquatore.

Hinc ad Promontorium *Ochiuvary* octo numerantur leucæ, & ab hoc ad vallem nostræ *Sennore* decem leucæ. ita vocant sinum inter duos colles conclusum, octo & quadraginta pene gradibus ab Æquatore versus Austrum.

Ab eo sinu ad portum *Ferdinandi Gallæci* octodecim statuuntur leucæ, novem & quadraginta gradibus ab Æquatore versus Austrum: à portu isto ad *Abra S. Guillen*, (ut vocant) quindecim leucæ, quadraginta novem gradibus & quadraginta scrupulis ab Æquatore.

Ab *Abra S. Guillen* ad terræ cornu quod vocant *Punta Delgada* sex sunt leucæ, quinquaginta gradibus ab Æquatore.

Sequitur deinceps *Porto de los Reyes* quinquaginta gradibus & viginti scrupulis ab Æquat. & sex ab hoc leuc. *Portus Innocentum*; & mox cornu *S. Augustini*; promontorium *de la Roia* & *S. Catalinae*; uno & quinquaginta gradibus & quadraginta scrupulis ab Æquatore: & statim portus *S. Amari* & *Abra S. Victoriani*, duobus & quinquaginta gradibus & viginti quinque scrupulis ab Æquatore, qui canalis inter editas insulas & juge nive tectas se insinuat. Australi autem illius promontorio tres exiguæ insulæ adjacent, in triangulum projectæ, indubitatæ indices ostii Freti Magallanici quod in Mare Australe exit: Haec tenus ille decade VIII. lib. II. cap. XI. <sup>10</sup>

Idem paulo aliter hanc oram delineat in descriptione Indiarum: Ora (inquit) quæ à Chilensi præfectura ad Fretum Magallanicum usque pertinet & à Valdivia pene centum leucarum spatio ad zephyro-nothum (W. S. W. vulgo) vergit, habet primo Promontorium *S. Andreæ* septem & quadraginta gradibus ab Æquatore versus Austrum; à quo ora sese flectit ad Austrum & recta versus Fretum Magallanicum.

Secundo Promontorium *S. Romani* quadraginta octo gradibus ab Æquatore; & juxta illud Insulam *S. Catharine*, ad introitum magni sinus, quem vocant *Alcarchofadam*. In ipso dein sinu, recessum *Nostræ Sennore* & Insulam *S. Barbaræ*; & paulo ultra Portum *Fernandi Gallæci* quadraginta octo gradibus & quadraginta scrupulis ab Æquatore; dein octodecim leucis à dicto portu *sinum Regum* & *S. Ioannis* quin-<sup>20</sup> quaginta gradibus & viginti scrupulis ab Æquatore. Promontorium *S. Francisci* uno & quinquaginta gradibus ab Æquatore, pone quod aliquot canales sese intra continentem insinuant; & insulam *Campanam* undecim leuc. à Promontorio *S. Francisci* (quam *Acosta* ita à forma dictam, & introitum Freti Magallanici indicare scribit) sinumque *S. Lazari* duobus & quinquaginta gradibus ab Æquatore, in quem sex ad minimum alvei exeunt, nondum à quoquam lustrati, denique Archipelagus Insularum. Hæc *Herrera*.

Alii adhuc alia nomina huic oræ imponunt, vidimus enim Tabulam Geographiam anno CLXCI in Hispania expressam & à Cosmographo Regio Petro Texera Ealbornas post duarum navium è freto novo Lemario redditum delineatam; in qua hæc nomina apposita invenimus; ad gradum quintum & quadragesimum ab Æquatore versus Austrum, flumen *de los Barbudos*, id est barbatorum, quod in sinum *de los Coronados* se exonerat: ad altitudinem quadraginta sex graduum & triginta scrupulorum, *Rio sin fondo*: inter quadragesimum septimum & octavum gradus certos recessus five sinus quibus ascriptum est *Aquis se perdidio Diego Gallego*, hic periit *Didacus Gallacus*: ad quadragesimum nonum & triginta circiter scrupula Promontorium *Corca*; à quo terra longo intervallo pene ad ortum recedit & ingentem sinum aperit, qui semicirculari ambitu usque ad quinquagesimum secundum gradum circumducitur, & varios amnes in se videtur admittere, ad mare denique Australe quamplurimis insulis clauditur; nullum huic sinui nomen additum, sed in interiori illius gresso recessus est satis patens in ipso aditu, cui nomen additum *Ancon sin Salida*, quasi dicas recessum minime pervium.

In eadem tabula facies harum terrarum pingitur montosa fere & hac illac nemoribus vestita. Nunc porro de ipso Freto dicendum.

#### C A P. IV.

#### *Ipsius Freti Magallanici descriptio secundum Hispanos qui primi illud penetrarunt.*

**I**N descriptione ipsius Freti Magallanici, trium nationum observationibus ute-<sup>50</sup> mur, quæ singulæ varia nomina eisdem saepè locis indiderunt: nam licet à Belgis nostris demum accuratissime observatum & descriptum fuerit, tamen non inutile erit ea quoque cognoscere quæ inde à prima hujus Freti inventione à singulis fuerunt prodita.

Ordiemur autem ab Hispanis, quibus prima illius lustratio debetur: *Ferdinandus* namque *Magallanus*, *Lusitanus* *Eques* non ignobilis, illud primus anno CLXII auspiciis

auspiciis Regis Castellæ, detexit in hunc modum *Magallanus*, postquam in finu & portu *S. Iuliani* hybernasset (nam quæ ante illi acciderunt, hic prætereo) ex illo cum navibus suis solvit xxiv Augusti anni cIo Io xx ibidem relinquens *Ioannem de Cartagena* & Clericum quendam Gallum ob gravia delicta condemnatos: atque inde petiit Flumen *S. Crucis*, ubi mensibus Septembri & Octobri substitit & magnam piscium copiam cepit.

Hinc sub finem Octobris profectus oram legit versus Austrum, cum multis difficultatibus & sœvis tempestatibus conflictatus, tandem pervenit ad Promontorium *Virginum*, ita ab illo appellatum à *S. Ursula*, cuius festo die illud detexerat: hic pri-  
mum magnus recessus maris visus in Continentem pervadere, itaque duæ naves dis-  
missæ quæ illum perlustrarent; harum una nihil certi reportavit, altera magnam spem fecit, hoc fretum navibus majoribus esse pervium. Una circiter leucâ ab ore Freti in continentem exscensione facta, tuguriolum ibidem repperit & plurima sepulcra barbarorum; quippe indigenæ hujus regionis æstivis mensibus huc accedere solent & cadavera suorum contumulare, hybernis vero in mediterranea concedere: ingentem itidem cetum in littus ejectum, & plurima ossa repererunt, è quibus proclive erat judicare, hæc loca ingentibus tempestatibus obnoxia esse.

Sub finem Octobris Promontorium *S. Severini* (ut vocabant) superarunt, quin-  
quaginta duobus gradibus & quinquaginta quinque scrupulis ab Äquatore versus  
Austrum: & quia noctu plurimos ignes in continentem videre erat, *Terra del Fuego* nomen Continenti illi, ut putabant, indiderunt. Atque per angustias Freti eluctati sub finem demum Novembribus in Australem Oceanum penetrarunt. Periit quidem postea ipse *Magallanus* in hac expeditione, sed non ipsius fama; meruit enim præclaro hoc facto, ut non modo Fretum hoc, sed & Australior hæc Americæ Meridionalis pars hodieque ab ipsius nomine appelletur.

Post illum *Garsias de Loyasa* anno cIo Io xxv idem Fretum ingressus mense Aprili, illud sub finem May satis feliciter enavigavit: hic cum accolais barbaros conspexisset statura proceriore, illis Gigantum atque *Patagonum* nomen indidit. Longitudo Freti & angustia illius, variique recessus, stationes & portus paulo accuratius tum fuerunt observati. Nam superatis secundis Freti angustiis, invenit ibidem portum, cui imposuit nomen *S. Jorge*, ad quem observarunt arbores illas, de quibus postea dicetur, quarum corticibus usi sunt, & viridem canellam sunt suspicati. Atque item alterum portum cui nomen dedit, *Puerto Frio*, ob ingens frigus, quod ibidem perpetiebantur, ita ut non pauci illic deficerent.

Hunc jam tertius exceptit *Simon de Alcazova*, qui anno cIo Io xxxiv sub ini-  
tium Octobris ex *Gomera* Insula solvens, recto cursu & nulla pene terra conspecta decimo septimo Januarii die anno cIo Io xxxv ad flumen *Galleorum* pervenit viginti quinque à Fretu leucis versus Arctum, & paulo post Fretum ingressus, à na-  
valibus sociis tumultuantibus ad portum *Leonum* reverti coactus fuit, ubi misere  
40 periit.

Anno denique cIo Io xxxix ab Episcopo Placentino tres naves missæ, quæ cum mense Augusto ex Hispania solvissent, vigesimo demum Januarii anni cIo Io xl fretum conspexerunt, ubi navis Ammiralia (ut vocant) misere fracta fuit, vecto-  
ribus maximam partem salvis: altera navis Fretu feliciter enavigato *Arequipam* ap-  
pulit: tertia voti irrita in Hispaniam remeavit, postquam in ipso Fretu hybernasset in portu *de las Zorras* (ut ipsi vocarunt à vulpecularum copia, quas ibidem conspexe-  
rant.) Atque hæ fere Hispanorum per hoc Fretum navigationes, antequam ab Anglis idem tentaretur: è quorum relatu *Acosta* Fretum in hunc modum describit libro III. cap. XIII.

50 Fretum Magallanicum (inquit) jacet quinquaginta & duobus non plenis gradibus ab Äquatore versus Austrum, patetque in longitudinem ab uno Oceano ad alterum nonaginta, aut ad summum, centum leucas, in latitudinem vero ubi maxime angustatur tantum unam; atque hic Regi Hispaniarum persuasum fuerat, ut arcem conderet, ut hoc pacto aliis nationibus aditum in Mare Australre intercluderet; ma-  
re hic nonnullis locis ita est altum, ut bolide jacta vix fundum sit reperire, aliis vero tantum quindecim vel octodecim orgyas: leucarum autem milliarum centum, quas in longi-

longitudinem patet, triginta quidem sibi vendicat Oceanus Meridionalis, septuaginta vero Eous sive Atlanticus; manifesto inter utriusque fluctus divertio, & aestuum quadam reciprocatione: porro triginta illarum leucarum spacio Fretum angustius est & altissimis montibus atque perenni nive tectis, utrumque ita conclusum, ut vertices montium, eminus, pene coire videantur, & ostium ipsius Freti ab illis qui ab occidente adnavigant difficulter discerni possit; eodem spatio & altissimum est & orae utrumque præruptæ, ita ut anchoræ difficulter hic figi possint: Septuaginta vero illarum leucarum spacio, paulo latius est Fretum & minus altum, & orae utrumque leniter acclives. Varia tum nomina ab Hispanis, locis intra Fretum imposita, quorum pleraque jam obsoleverunt; præter Promontoriorum ad utrumque Oceanum, 10 quorum illud quidem quod ab Oceano Atlantico ingredientibus dextrum est, *Cabo de las Virgenes*, id vero quod in Australem Oceanum prominet, *Cabo Deseado* hodie dicuntur.

## C A P. V.

*Anglorum navigationes per Fretum Magallanicum & quidem  
primum Francisci Draci.*

**A**B anno 1510 ad annum 1517 non invenio memoriæ proditum, Fretum hoc à quoquam Hispanorum, aut aliarum nationum, tentatum, controversia enim illa notissima de Molucis Insulis, inter Reges Castellæ & Portugallæ sopotâ, exiguis esse illius videbatur usus & summa superandi difficultas & aliorum qui ante tentaverunt, discrimina merito deterrebant; neque quisquam adhuc è mari Australi in Septentrionale regredi fuerat conatus. Anno demum 1517 fortissimus Eques & maritimarum rerum peritissimus *Franciscus Dracu*s Anglus, heroico plane ausu, cum paucis navibus, neque ita magnis, expeditiōnem in Oceanum Australēm per hoc Fretum suscepit. Hic medio Decembri ex Anglia solvens, sub initium Aprilis anni 1518 Brasiliam adiit, triginta tribus gradibus ab Æquatore versus Austrum: & sub finem pene Junii Portum 30 *S. Iuliani* est ingressus; è quo decimo septimo mensis Augusti profectus, vigesimo ejusdem mensis die, Fretum Magallanicum attigit; illud autem ingressus, tres insulas offendit, quarum uni *Elisabetha*, alteri *S. Bartholomæi*, tertia *S. Georgii* nomen imposuit, atque in illis quidem brevi tempore tria millia avium, quas *Penguins* vocant, mactavit.

Sub initium Septembbris Fretum satis feliciter enavigavit, & sub insula quadam quæ ostium Freti ad Mare Australē veluti concludit, anchoras jecit, ut aditus in mare illud penitus lustraret: itaque cyma dimissa canalis qui versus Arctum se aperit sedulo inspectus; hic barbarorum lintrem obvium habuerunt è corticibus arborum mira industria consertum, & cingulis quæ è phocarum tergoribus dissesta erant, ita consutum, ut nihil aut perparum undarum per rimulas admitteret; prora atque puppi semilunæ in modum recurvis.

Barbari hi statura erant mediocri, membris bene compactis, faciem rubrica quadam picti: in Insula autem tuguriolum illorum inventum fuit, è stipitibus compositum & animalium tergoribus tectum; in quo præter ignem & aquam, quam in corticibus ad eundem modum consutis asservabant, luporum marinorum carnes, musculi & similis annona fuit reperta: Muscularum autem qui hic supra modum grandes sunt, testas ita lapillorum attritu acuunt, ut iisdem non modo durissima ligna, sed & ossa dividant.

Sexto demum Septembbris Oceanum Australēm sunt ingressi. Atque hiç illos 50 statim tempestas exceptit, adeo horrida & pertinax, ut quinquaginta duobus diebus nihil pene remitteret; quare illos cum summo discrimine ita exagitavit, ut præter institutum ad altitudinem septem & quinquaginta graduum Australium abriperentur; ubi quum in portu quodam anchoras jecissent, à violentia ventorum & aestuoso mari rursus in altum se subducere fuerunt coacti, & una ipsorum navis, & mox altera, ab Ammiralia, qua ipse *Dracu* vehebatur, separatae: quare huic stationi nomen ab

ab ipso inditum fuit, *The Bape of Severing of Friends* / id est , amicorum divortium.

Ab hoc eadem tempestas illos rursus abripuit, egitur ad altitudinem quinquaginta quinque graduum ab Aequatore versus Austrum, inter plurimas insulas, juxta quas porro constiterunt donec tempestas desæviret; Insulas has *Elyzabethides* dixerunt; Sunt autem eæ pars terræ Australis, quæ olim continens esse credebatur, tam latis & altis alveis divisæ, ut totidem freta videri possint: hic barbaros ultro citroque in tribus suis commeantes offenderunt, mares & scæminas quæ infantes suos pelibus tectos supra dorsum pendulos circumgestabant. Ab iisdem tum observatum, 10 extremas harum insularum quinquaginta & sex gradibus ab Aequatore abesse versus Austrum, pone quas vastum mare jacet, secus quam superiori seculo fuit creditum. Denique sub finem Octobris vento jam remittente, versus Arctum cursum instituerunt. Cætera hujus expeditionis, quia non faciunt ad hoc nostrum institutum, hic omittimus.

Sed nequaquam prætereunda sunt, quæ à *Ioanne Wintero* sunt observata, qui uniuersum hujus classis præfuit; Nam cum *Draco* in Mare Australis ingressus iter prosecutus est versus Corum, ad septuaginta, ut ipsis videbatur leucas; ubi decimo & quinto die Septembris, hora sexta matutina Ecclipsin observarunt, quæ in Anglia visa fuit, ante horam primam post medium noctem. Ingruit eo die sævissima tempestas, ita ut velis uti non possent, quæ duravit octodecim diebus, eosque impulit versus Austrum usque ad altitudinem septem & quinquaginta graduum; hic vento non-nihil remittente rursus vela explicarunt, & cursum instituerunt versus ortum; Septimo Octobris denuo conspexerunt terram, subjeruntq; sinum multis scopulis contaminatum, è quo se non sine discrimine absolverunt, & in Fretum Magallanicum sunt regressi, & omissa ulteriori navigatione, domum.

## C A P . V I .

*Thomæ Candishii navigatio per Fretum Magallanicum,*  
itemque *Richardi Hawkini Equitis.*

30 **F**ranciscum Dracum secutus est in eodem conatu *Thomas Candishius*, qui anno cI 1586 cum tribus navibus ex Anglia solvens mense Julio, & circa exitum Decembris ad continentem Americæ delatus, octo & quadraginta gradibus ab Aequatore versus Austrum, Portum subiit quem ob opportunitatem *Port Desire* appellavit; à quo rursus solvens sexto Januarii ann. cI 1587 Fretum Magallanicum est inventus, & cum aliquantulum processisset Hispanum quendam cepit, qui cum viginti tribus aliis superabat è quadrageenis, quos Rex Hispaniarum eo miserat, ut oppida aliquot conderent, de quibus postea dicemus: & postero die primas angustias superavit, quæ secundum illius computationem absunt ab ostio Freti milliaria Anglica quatuordecim, ab his ad insulas *Penguinum* milliaria decem proiectus, flexit versus Africum & Philippopolos (vulgo *Cuidad del Rey Philippe*) desertæ mœnia lustravit & tormenta aliquot à colonis defossa eruit: & quia maxima pars Hispanorum hic variis incommodis & maxime inedia interierat, loco *Port Famine* nomen imposuit: situm autem erat oppidum tribus & quinquaginta gradibus ab Aequatore versus Austrum.

Itinerarium nauticum Hispanorum collocat Promontorium, ipsis *Punta de Santa Ana*, ad altitudinem trium & quinquaginta graduum & triginta scrupulorum; notatque oppidum Philippi, eo superato jacuisse versus corum ad angulum quendam terræ.

50 Movit ab hoc loco decimo quarto Januarii & Promontorium maxime Australis (quod *Cape Frauward* nominavit) prætervectus, quatuor & quinquaginta gradibus ab Aequatore, xxii ejusdem mensis in arenoso sinu ad dextrum Freti latus anchoras fixit, sinui *Elizabethæ* nomen inditum, ab hoc duorum milliarum spatio abest fluvius, qui è continenti descendit, quem cymba subeuntes ad millaria tria, pulcherrimam planiciem & campestrem vernantemque regionem ad utramque illius ripam inuenirunt; quod rarum in hisce regionibus, nam reliqua ferè regio asperis atque incultis horret

horret montibus: hic plurimi barbari incolebant, humanis visceribus & aliis immunidis cibis vicitantes: quos & Hispanos aliquot trucidasse & comedisse verisimile erat, nam cultelli, aliæque plures Hispanorum exuviae in tuguriolis illorum fuerunt deprehensæ. Hinc & canalem *S. Hieronymi* (ut Hispani vocaverunt) adierunt, qui duobus milliarib. à fluvio abest; & pene integrum mensem, ab adverso vento, in portu quodam subsistere coacti vigesimo quarto demum Februarii in oceanum Australem sunt egressi. Idem *Candishius* secundo per hoc Fretum in Oceanum Australem penetrare instituerat anno  $cl\circ l\circ xc\circ$ : Sed voti irritus & variis calamitatibus misere exagitatus, in illa expeditione periit.

Hunc sequutus est *Richardus Hawkynus Eques*, qui anno  $cl\circ l\circ xc\circ iii$  mense <sup>10</sup> Aprili ex Anglia profectus, postquam Brasiliæ oras & Flumen *de la Plata* lustrasset, demum mense Februarii anni  $cl\circ l\circ xc\circ iv$  ab adverso vento ad terram hactenus incognitam, & ut verisimile fit, Continentis Australis (si quæ ibi continens terra) partem fuit delatus, quinquaginta pene gradibus ab Æquatore versus Austrum; & oram illius legit versus aquilonem ad millaria pene sexaginta: Testatur autem, Regionem hanc per amœnam sibi visam, & haud dubio habitatam ob crebros ignes quos passim noctu observaverat; præterea & aliquot amnes ē continent in mare exire, tanto impetu ut undarum color inter ipsos fluctus discernatur: Promontorium porro quod primum ex alto conspexerant *Point Tremontaine* appellarunt: à quo  $xii$  aut  $xiv$  mil. liar. versus ortum insula continentis objacebat, quam ob vernantem & amœnum ad. <sup>20</sup> spectum *Faire Island*, id est, pulchram Insulam dixerunt; totam denique hanc terram *Hawkins Maiden Land*. Sed vento denuo reflante, ab hac discedens ad Fretum Magallanicum feliciter pervenit, illudque enavigavit, non sine discrimine, aliquoties ab ipso ore, quod in Oceanum Australem patet, repulsus. In ipso denique Mari Australi quum jam non modo Chilensem oram, sed & Peruvianam pene totam esset prætervectus, ab Hispanis post longum & acerrimum certamen fuit captus, & multa illos docuit de parte Australi ipsius Freti hactenus ipsis ignorata, nimirum quicquid terrarum Fretum Magallanicum ab Austro attingit, nihil nisi insulas esse, variis canaliculis & æstuariis interseatas, quemadmodum quoque postea à Belgis nostris fuit observatum, & demum novo illo Freto à *Lemario nostro invento*, extra dubium fuit possum, uti mox dicemus.

## C A P. VII.

*Belgarum navigationes per Fretum Magallanicum & quidem prima duce Simone de Cordes.*

**A**NNO denique  $cl\circ l\circ xc\circ viii$  Belgæ nostri navigationem per Fretum Magallanicum auspicarunt, duabus Classibus à diversis mercatoribus instructis; quarum priori Ammiralii nomine præerat *Jacobus Mahuvinus* & legati sive Vice-Ammiralii nomine *Simon de Cordes* Antwerpianus, qui *Mahuvio* in mari <sup>40</sup> Atlantico defuncto, in illius locum successit: Ea quinque navibus constabat: Solvit autem ex Hollandia mense Junio: & post varias difficultates superatas tandem mense Aprili anni  $cl\circ l\circ xc\circ ix$  ad ipsum Fretum pervenit: Erat ea anni tempestas fatis incommoda, quippe hyeme tum in illis partibus acriter ingruente: hic primum *Pinguinum* insulas adierunt, & mox decimo tertio ejusdem mensis anchoras fixerunt in peramplo sinu, cui Angli jam ante nomen *Musculorum Sinus* imposuerant, viginti duobus milliaribus intra Fretum & ad latus ingredientibus dextrum; in hunc sinum fluvius egreditur, & ora omnis atque insula quæ sinui objacet, arboribus obsita est, ita ut hic summa sit aquandi & lignandi opportunitas, mare autem ingentium musculorum copiam subministrat.

Aura dein ab oriente flante, versus Africum & mox versus Corum cursum instituerunt, sed vento paulo post mutante, vela vortere coacti fuerunt & in sinu ad Septentrionale Freti latus anchoras jacere: Stationi huic *Viridis Sinus* nomen inditum, abest autem ab Æquatore quatuor & quinquaginta gradibus versus Austrum: tres parvæ insulæ in illo visuntur sparsæ; hic cum opus est, naves in siccum subduci possunt & refici: ora continentis & insulæ multis arboribus vestitæ sunt, de quibus

Sebaldus

*Sebaldus de Weert*, qui uniuersitatem præfuit, & voti irritus post multos errores è Fretum redire coactus fuit, ad Parentem meum retulit, in Clar. Vit. Car. Clusi gratiam, qui illius epistolam Exoticis suis inseruit: è qua hæc observanda: Arbor hæc nullam similitudinem habet cum Lauro, ut nonnulli perperam retulerunt, foliorum dunt taxat odor laurinorum foliorum odorem æmulatur, sed sunt latiora & magis viridia; R. *Hawkinus* populi nigræ foliis comparat, sed magis dilute virere scribit: arbor autem perpetua coma viret (quemadmodum maxima pars aliarum arborum quæ ad oras illius Freti nascuntur) atque in altum assurgit, adeo interdum crassa, ut meminerim (inquit) afferes ex una sectos fuisse binos pedes cum semisse latos; valde autem fragile est lignum. Nullum fert fructum, quantum quidem observare potuimus, licet totis novem & amplius mensibus in Fretum hæserimus, quo sane temporis spatio vel florem vel fructum sive immaturum sive maturum observare necesse fuisset. De ligni foliorumve aut corticis facultatibus & natura, nihil nobis constat, nisi quod corticem & folia adeo aromaticæ observantes, iis usi sumus in nostris edulis, existimantes in tam frigida regione noxia esse non posse, præsertim cum pipere fere destitueremur, ad musculorum quibus vesci cogebamus, aliorū alimentorum penuriā, condimentum. Hæc ille. *Hawkinus* vero, cuius jam aliquoties memini, huius arbori (nisi forte de alia loquatur) etiam fructus tribuit virides, & oxyacanthæ baccis forma non absimiles, qui nucleos aliquot minutos continent intus albos & acrimonia ipsi piperi præstantes. In eodem sinu & muscularum copia reperta, magnitudine facile omnes qui usquam reperiuntur anteeuntes, nam conchæ illorum fere palmum majorem longè sunt & musculi exempti cocti, terni libram nostratē non raro æquant: plures præterea hic anseres & anates capiuntur. Hic ob adversam tempestatem ad exitum pene mensis Augusti substiterunt, quo tempore sævos ventorum turbines sunt perpesti, qui illos non semel ab anchoris invitatos in gravissima discrimina abripuerunt: & supra centum illorum variis morbis interierunt. Dum autem hic hærent, cymbâ ad insulam ex adverso sitam profecti, vii lntres barbarorum obvios habuerunt, qui statim ad terram applicuerunt, & nostros ingentium faxorum grandine ita obruerunt, ut retrocedere cogerentur, illi autem audacieores facti lintribus rursus consensis, insequi cœperunt, donec sclopetis quinq; illorum occiderentur, tunc enim rursus exscensione facta, crassissimos arborum trunacos, nullo pene negotio evulsos, in nostros jaculari conati sunt, qui mature se subduxerunt: Erant hi (ut referunt) statura plane gigantea, decem aut undecim pedes longi, colore rubicundo, prolixis comis, nudi omnes uno excepto, qui phocæ vellus pudendis præcinxerat: arma erant jacula è durissima materie quibus ligneæ cuspides recurvæ, nervis animalium alligant, hæc ita intorquebant, ut corpora hominum penetrarent. Sinui nomen inditum *Cordes Baye*. Hinc xxiiii Augusti solventes, postero die ob malaciam ad Australem Freti plagam anchoras jecerunt ad partem orientalem sinus cuiusdam, quem *Ridders Baye*, id est, Equitum Sinum dixerunt, propter equestrem ordinem hic ab ipsis institutum, quem *Soluti Leonis* titulo, certis ceremoniis & fidei mutuæ vinculis inter se celebrabant. Aliquoties deinde provecti, totiesq; repulsi non sine ingentibus periculis, tandem iii Sept. Fretum enavigato in Australem Oceanum penetrarunt; ubi cum sæva ventorum tempestas illos exceperisset, navis qua *Sebaldus* vehebatur, ad Fretum repulsa fuit, & post maximas miseras, per plures menses, intra Fretum exantatas, in patriam redire coacta fuit, cui accuratissimam Freti delineationem debemus, quæ in Tabula Geographica hujus libri expressa est.

## C A P . V I I I .

*Sebaldi de Weert longi in Fretum errores, Penguinum descriptio.*

**N**ON abs te me facturum existimo, si adamicissimi viri memoriam, longos illius in hoc Fretum errores commemorem. Cum Classis, uti dixi, iii Septemb. clio xcix in Oceanum Australem pervasisset, triduo pene ventis satis propitiis usq; fuit; quarto demum die primum vehemens ventus, ingentes fluctus tollere cœpit, ita ut naves valide conuassarentur, & crassa nebula mutuum adspectū adimeret, ita ut Ammiralii navis à ceteris aberraret: x autem Sept. horrida tempestas ingruit,

Mm

quæ

quæ cæteras quoque separavit, præter duas, quarum una *Sebaldus* hic noster vehebat. Sed tempestate paulum remittente & aura nonnihil favente duæ hæc naves cursum tenuerunt usque ad decimum nonum ejusdem mensis, quo tam sœva ventorum rabies illas opprescit, ut in summo discrimine versarentur; ita xxiv diebus in Oceano Australi jactati, tandem intra Fretum repulsi sunt, & ibidem in sinu quodam anchoras jecerunt: Hic pene quotidie ventorū turbines illos ita exagitarunt, ut ab anchoris non semel abriperentur, & nonnullas amitterent. Hinc in alium sinum quem rutiorem esse rebantur proiecti, non minus discrimen adierunt, *Sebaldi* nave à subito turbine pene scopolis illisa, & fere miraculo servata: accessit & aliud incommode à tumultuantibus nautis, qui domum redire cupiebant & ægre à duce persuasi compescabantur.<sup>10</sup> Interim muscularum in sinu hoc copia, quotidianum victum large suppeditabat.

Quum autem hîc usque ad secundum Decembres substitissent, nihil non miseriarum experti, ventus ab Aquilone flare cœpit, itaque velis expansis egredi tentarunt, & tandem post summum discrimen & naufragii metum egressi, paulo longius ab altera navi anchoras jecerunt, ita ut tandem penitus ab illa separarentur.

Dum hic hærent, cymbâ ad proximam terram versus occidentem delati, barbaros aliquot offendebant, qui nostros conspicati, summa perniciitate in vicinos montes enitebantur, ut nullo pacto illos assequi possent, una tantum fœmina cum duobus liberis deprehensa fuit & ad navem ducta; Erat illa statura corporis modica, colore rubicundo, projecto ventre, uberibus pendulis, torvo admodum vultu, coma rasa <sup>20</sup> præterquam circa frontem & auriculas, prorsus nuda & tantum humeros & dorsum phocæ vellere tecta: non multum captivitate sua commoveri visa, ab omni cocto cibo penitus abhorrebat, sed avem quandam, leviter deplumatam, musculi conchâ non-nihil incisam discerpit & bona viscerum parte abjecta, jecur & ventriculum & mox reliquam carnem paululum ustulatam & semicrudam non modo ipsa sed & liberi illius avide dilaniarunt. Hanc biduo in navi retentam rursus in terram exposuerunt, filiola quatuor aut quinque annorum, ipsa non multum invita, retenta, quæ postea à *Sebaldo* liberaliter educari cœpta Amstelodami obiit.

Decimo quarto Decembres rursus sœvissima tempestas ingruens eos funibus & anchoris amissis è sinu abripuit, ita ut inviti ad *Cordesii* sinum retro vehi cogerentur; dum in eo sunt, nova illos calamitas oppressit, cymba illorum ab æstuoso Fretu hausta: sed postero die cum jam in illo sinu in anchoris starent, insperatum ipsis auxilium affulxit ab *Oliverio à Noord* qui in eodem Fretu jam anchoras fixerat: Huic *Sebaldus* se conjungens, omnem operam dedit, ut cum illo in Oceanum Australiem penetraret, sed incassum, vento fere adversante atque illos rejiciente; itaque tandem illo deserto, ob annos defectum, versus *Pinguinum* insulas iter flexit, & duodecimo Januarii anni c<sup>l</sup>o l<sup>o</sup> c ad easdem pervenit: hic statim exscensione in minorem insulam facta, dum avibus maestandis dant operam, subita tempestas emicuit, quæ cymbam illorum, quam priore amissa compegerant, tam valide scopolis & littori illisit, ut fracta penitus judicaretur: nihil jam huic calamitati addi posse videbatur, nam in navi tantum quinque socios reliquerant, maximam partem ægros & invalidos, 40 ipsis vero omnium rerum indigi, quo se verterent ignorabant: sedula tamen non-nullorum industria tandem perfectum fuit, ut cymba aliquo modo reficeretur, & vigesimo quarto ad navem redirent.

In hac insula fœminam invenerunt quæ sese in caverna illarum avium abscondebat: Ea picta erat facie, pallio è *Pinguinum* & aliorum animalium pellibus eleganter consuto amicta ab humeris ad genua usque, pudenda insuper simili pelle velata; ita ut ex eo proclive sit judicare, barbaros qui continentem incolunt longe cultiores & minus barbaros esse, quam qui in insulis ex adverso degunt; ibidem & viri cadaver repertum, qui coma erat prolixa & corona è variis plumis conserta redimitus, à lumbis pæterea ad genua usque similibus plumis circumcinetus, quibus reticulum incumbebat variis lapillis & ossiculis distinctum: cccc l<sup>o</sup> aves tum captæ: postero die majorem insulam adierunt innumeris pene avibus refertam, ita ut brevissimo tempore nongentas maestarent. Abrepti dein à ventis præter has insulas, rursusque ad easdem repulsi, non sine discrimine anchoram amiserunt, ita ut ipsis jam non nisi unica superesset, exiguum solamen in tam æstuoso & tempestuoso Fretu: itaque jam domum

domum redire certi, vigesimo primo Februarii Fretum Magallanicum deseruerunt; & vigesimo quarto ejusdem jam pene sexaginta mill. à Continente proiecti tres insulas offendunt, haec tenus ignotas, quinquaginta gradibus & quadraginta scrupulis ab Äquatore versus Austrum, quas *Sebaldi Insulas* appellantur; denique decimo tertio Julii in Hollandiam redierunt. Quia vero *Penguinum* jam saepius mentionem fecimus, earum avium iconem & descriptionem è *Carolo Clusio* hic adjiciemus. Marina est hæc avis (inquit) & ex anserum genere, tametsi rostro dissimilis, in mari vivitans, valde pinguis, prægrandis anseris magnitudine; nam adultiores quasdam ex eo genere observarunt, tredecim, quatuordecim, etiam sedecim interdum libras pendentes: prona parte nigris pennis tectæ erant, supina & in ventre albis: collum quod crassum & breve, habebant nonnullæ albis pennis, tanquam torque cinctum: earum cutis crassa & densa instar suillæ: alarum erant expertes, sed earum loco binas parnas corjaceas pinnas habebant, in latera tanquam parva brachia propendentes, prona parte brevibus, angustis & rigidis pennulis confertim tectas, supina autem, minoribus adhuc & rigidioribus, iisque albis, quibus nonnullis locis intermixtæ nigrae, minime quidem aptas ad volandum, sed quarum adminiculo velociter natarent; maxima enim ex parte in aqua versari intelligebam, & terram duntaxat petere fætificationis vel pullationis tempore & plerumque ternas aut quaternas in una scrobe latere: rostrum corvino majus habent, non adeo tam elatum, & valde brevem caudam, pedes nigros, planos, anserinorum pedum formâ, non adeo tamen latos: erectæ, & sublimi capite incedunt, demissis in latera pinnis, tanquam brachiis, sic ut procul intuentibus homunculi aut pygmæi videantur. Piscibus duntaxat vesci referebant diaria; non ingratæ tamen saporis esse illarum carnem nec piscem sapere. Scobes porro valde profundas in littore fodere cuniculorum instar, totum solum adeo cavum interdum efficientes, ut per illud gradientes nautæ, saepiuscule genu tenus in eas scobes inciderent.



## C A P . IX.

## Secunda &amp; tertia Belgarum navigatio per Fretum Magallanicum.

**A**LTERA nostratum Classis quatuor navibus constans sub Præfecto *Oliverio de Noord* soluit eodem superiori anno, medio pene Septembri & post varios casus & discrimina tandem sub finem Septembris anni 1599 portum subiit quem Angli *Desire* appellaverant, è quo solventes sub finem Octobris, quarto demum Novembris Fretum sunt ingressi, & aliquoties repulsi, vigesimo secundo ejusdem mensis primas angustias superarunt, & vigesimo quinto sub *Penguinum* insulis anchoras fixerunt; & post multa magnaue discrimina tandem pridie Kalend. Martias anni 1600 in Oceanum Australiem penetrarunt.

Dum vero cum adversis ventis & aliis incommodis in Freto hoc luctarentur, in barbaros aliquot inciderunt, à quibus se narrant hæcce accepisse. Continentem è regione minoris *Penguinum* insulæ versus arctum, appellari *Collis*, hic incolere gentem *Enoo*; insulam minorem à barbaris *Talke* appellari, majorem vero quæ illi adjacet *Caltamme*, in qua magna est *Penguinum* copia, è quarum pellibus pallia consuant barbari, quæ circa humeros gestant, cætera nudi. Hos barbaros per cognationes separatim degere, quarum plures nominatim recensebant: *Kemenetes* quidem, qui regionem *Karray* incolunt: *Kennekas* qui *Karamay*: *Karaikas* qui *Morinen* & ita porro.

Atque hos universos corporis mole Europæos nequaquam superare, sed lato sunt pectori atque edito, alii frontem alii totam faciem coloribus quibusdam pingunt: Mares pudenda sua filo quodam circa præputium constringunt, fæminæ vero etiam *Penguinis* exuvias velant: eadem comam circa frontem præcidunt, mares contra promittunt. *Penguinavis* ipsis *Compogre*, velamen è pellibus illarum consutum *Oripoggre* dicitur; pelles autem istas tanta arte aptare & consuere norunt, quanta

nostris pellionibus. In Mediterraneis porro referebant *Tiremenes* degere in Regione *Coin*, statura plane gigantea, qui reliquis nationibus infestis, ipsas armis non raro petarent & misere trucidarent: humanis carnibus vesci verisimile est, licet alioquin ferina & alio commeatu abundare videantur. Hæc se accepisse narrant à pueris quos secum duxerant & nostrum idioma ex parte docuerant.

Tertia & ultima navigatio per hoc Fretum suscepta fuit à *Georgio Spilbergio*, a spiculis Societatis Indicæ: qui ex Hollandia solvit anno 1515 cxiv mense Augusto, & secundo demum Martii ann. 1516 cxv plurimis periculis superatis ad Fretum Magallanicum pervenit, & sèpius ab adversis ventis & tempestatibus repulsus, tertio Aprilis primas angustias superavit & decimo sexto ejusdem Sinum *Cordes* subiit, ubi 10 & aquavit & ligna cæcidit, aliaque necessaria in nave imposuit, & denique post multas difficultates in Oceanum Australem penetravit sexto May. Atque hic quidem omnium pene compendiosissimè & brevissime Fretum hoc enavigavit.

Existimo adhuc alias tam Anglos quam Belgas hanc navigationem tentasse, quosdam etiam perfecisse, sed quia ipsorum diaria videre minime contigit, illorum mentionem hic facere non potuimus.

### C A P. X.

#### *Expeditione Didaci Flores de Valdes, & duæ Colonie ab Hispanis in Freto Magallanico collocatae.*

cap. II.

**P**etrus Sarmientus, (cujus navigationem è Mari Australi per Fretum Magallanicum in Hispaniam supra retuli) Philippum II Hispaniarum Regem, catum alioquin Principem, speciosis quibusdam argumentis permovit, ut Freti Magallani angustias, (Duce Albano, ut scribit *Herrera*, multum adversante,) communendas & aliquot coloniis deductis firmandas decerneret, quo deinceps aliæ omnes nationes aditu Maris Australis per hoc Fretum, arcerentur. Missus ad hæc perficienda *Didacus Flores de Valdes*, cum navibus onerariis viginti tribus, hominibus ter mille quingentis, præter quingentos milites veteranos qui è Belgio acciti, novum 30 Præfectum Chilensem ad suam provinciam comitabantur. Hæc expeditio admodum infaustis auspiciis fuit inchoata, nam antequam ab ora Hispaniae digredenter, quinque naves cum octingentis hominibus, qua nautis, qua colonis, à fluctibus absorptæ fuerunt & reliqua classis ad Sinum Gaditanum repulsa est. Nihilo tamen secius, classe refecta, cum sedecim navibus denuo solverunt, ut *Petrum Sarmientum* cum suis coloniis ad Fretum Magallanicum deducerent.

Quia autem paulo serius ex Hispania solverant, ad oram Brasiliæ in portu *Rio de Tenero* hybernarunt. Hinc profectos, duobus & quadraginta gradibus ab Äquatore versus Austrum, tam sèva tempestas exceptit, ut viginti duorum dierum spacio ultiro citroque jactati & unam è melioribus navibus, cum trecentis viris & viginti 40 fœminis ad colonias Magallanicas destinatis, amitterent & ad insulam *S. Catharine* reverti cogerentur.

Hic cum haud vanus rumor ad aures *Valdesii* pervenisset, binas Anglorum naves, quibus *Fentonius* vehebatur, adventare aut jam præcessisse, quæ Fretum Magallanicum, uti res erat, peterent; decem ex instructissimis navibus sibi sumfis, quibus Anglos persequeretur aut anteverteret, tres cum inutili turba & fœminis ad portum *Rio de Tenero* remisit, & duas penitus conquassatas hic destituit. Tres porro hæc naves cum Anglos hosce obvios habuissent, una quidem illarum cum hominibus depressa est, cæteræ potius ab ipsis omissæ sunt, quam evaserunt.

*Valdesius* interim medio jam Februario Fretum Magallanicum petens, primum 50 in transcursu, Fluminis *de la Plata* æstuarium salutavit & ibidem præfectum Chilensem à se dimisit cum tribus navibus versus *Buenos Ayres*, ut inde terrestri itinere ad præfecturam suam contenderet; ex hisce tribus, duæ in hoc flumine fractæ, hominibus & impedimentis ægre servatis, tertia in Hispaniam remeavit.

*Valdesius* autem cum medio Martio ad Fretum Magallanicum pervenisset, quo tempore jam ætas desinit in hisce partibus, & crebræ tempestates, frigora & nivis

nives valide ingruunt, *Sarmientum* cum colonis suis in terram exponere nequiens, jam secundo in Brasiliam & portum *Rio de Ienero* redire coactus fuit & de conatus Anglorum à suis qui evaserant certior est factus. Itaque cum quatuor navibus è suis & totidem aliis quæ nuper ex Hispania ipsi submissæ fuerant, ex *Rio de Ienero* solvit ut Anglos investigaret & persequeretur, in quo cum aliquandiu frustra operam sumisset, versus *Paraibam* cursum flexit, quumque ibi quinque Gallorum naves offendisset, qui hic castellum quoddam communiverant, tres quidem illarum depresso & duas cepit, & vallum castelli disjecit, atque ita in Hispaniam rediit. *Ribera* autem *Valdefii* Legatus & *Sarmientus* Magallanicæ præfectus, opportuno tempore è *Rio de Ienero* proximo anno profecti, satis prospere Fretum Magallanicum adierunt, ibidemque colonos suos, quadringentos viros & triginta foeminas, cum octo mensium commœtu in terram exposuerunt, unâ hic navi amissâ, alterâ *Sarmiento* relictâ *Ribera* cum cæteris Hispaniam repetiit. Tantæ molis fuit hispanam hanc gentem perdere.

*Sarmientus* primum haud longe ab aditu Freti oppidum molitus est, quod *Nombre de Iesus* appellavit & centum quinquaginta colonis attribuit. Hinc terrestri itinere profectus, versus angustias hujus Freti, juxta stationem haud intutam, alterum oppidum condere aggressus est, quod *Cuidad del Rey Philippe* nominavit; cui & arcem adjungere in animo habebat & multa tormenta bellica quæ in illum finem adduxerat disponere, ad nationes omnes peregrinas Freti hujus transitu arcendas, sed hyeme ingruente perficere minime potuit: sed viginti quinque navelibus sociis in navem quæ ipsi relicta fuerat assumtis versus primum oppidum navigavit, quumque ibi aliquot dies in anchoris substitisset, anchoralibus funibus aut ruptis, aut (ut magis verisimile fit) ultro dissectis ad portum *Rio de Ienero* rediit; & quum ibidem promissa subsidia non reperisset, *Pernambucum* petiit, atque hic nonnihil subsidii nactus, & ad Fretum redire satagens, inter *Pernambucum* & *Bahiam* omnium Sanctorum navem fregit: in *Bahia* denique nova navi & subsidis comparatis, rursus ad Fretum contendit, & denuo à sæva tempestate quatuor & quadraginta gradibus ab Æquatore versus Austrum ita jactatus, ut bonam comætum partem in altum jacere cogeretur, ad portum *Rio de Ienero* remeavit; è quo iterum solvens in Anglorum manus incidit, qui illum captivum abduxerunt.

Exciderat autem penitus è gratia Regis sui, qui se vanis hujus viri persuasionibus delusum dolebat, præsertim cum è *Ribera* intellexisset, maximas Freti Magallanici angustias, quas *Sarmientus* tantillas esse descriperat, supra leucam in latitudinem patere, adeo ut totius orbis machinæ bellicæ, naves secundo vento & æstu advenientes arcere aut sistere nequaquam possent. Coloni denique omnes qui in hisce duobus oppidis à *Sarmiento* relicti fuerant paucissimis exceptis variis morbis & fame imprimis interierunt; non pauci quoque dum in vicinas provincias contenderent, à ferocibus barbaris mactati, & haud dubio devorati fuerunt, ut supra obiter explicavi. Hæc annis cœlo lxxxiv lxxxv & lxxxvi gesta fuerunt.

## NOVUM FRETUM LEMARIUM.

## C A P . XI.

Novi Freti Lemarii *prima inventio*.

**H**ACTENUS diversas variarum nationum per Fretum Magallanicum navigationes compendio edisserimus, nunc antequam *Magallanica* continentem ad Oceanum Atlanticum prosequamur, de altero & novo Fredo, quod in Oceanum Australem desinit, nobis dicendum erit: Cujus primum inventi gloria Belgis nostris debetur. Jam supra tam ex Anglorum, nostrorumque, quam Hispanorum relationibus accepimus, communem fere omnium qui Fretum Magallanicum tentarunt aut enavigarunt opinionem fuisse, quicquid terrarum Fretum hoc è mari Atlantico ingredientibus ad sinistram jacet, non nisi Insulas esse, & pone illas vastum & apertum mare superesse, quod cum Oceano Australi sese conjungat, nec levia

ejusce opinionis argumenta jam ante explicavimus. Id demum à nostris non modo clarum & manifestum est factum, sed & novum Fretum inventum, per quod mino-  
ricum difficultate & discrimine in Oceanum Pacificum potest penetrari, id quo pa-  
cto à Belgis nostris inventum sit, jam edifferam.

*Isaacus Lemairius* Antwerpianus, mercator imprimis industrius, & *Wilhelmus Cornelii Schoutenius* Hornanus, quum novas terras versus Polum antarcticum inda-  
gare & lustrare in animum induxisserunt, onerariam unam cum celoce pararunt, &  
rebus omnibus ad diurnam navigationem necessariis probe instruxerunt, quibus  
ipse *Schoutenius* Navarchus, *Iacobus autem Lemairius* *Isaci* filius mercator impositus.  
Solverunt hi è *Texelia* notissimo Hollandiae portu, medio Junio Anni c15 I5 cxv:10  
Quæ ipsi primis aliquot mensibus acciderint, hic non attingam, quia ad hoc no-  
strum institutum non faciunt & ex diario hujus expeditionis, quod jam dudum  
juris publici factum fuit, à curiosis peti possunt: Ordinar ab eorum discessu è  
Portu *Desire* (quem septimo Decembris ingressi, ibidem celocem suam inopinato  
incendio, magno suo detimento amiserant) qui incidit in decimum tertium Janu-  
arii diem anni c15 I5 cxvi.

Ex hoc ergo proiecti, primum decimo octavo ejusdem mensis Insulas quas vo-  
cant *Sebaldianas* (ob causas jam ante à me explicatas) conspexerunt, uno & quin-  
quaginta gradibus ab Äquatore versus Austrum; quas prætervecti & recta versus  
Austrum tendentes, vigesimo ejusdem mensis, latitudine dimensa, se jam tribus & 20  
quinquaginta gradibus ab Äquatore versus Austrum declinasse deprehenderunt, &  
circiter viginti milliaria jam præter Fretum Magallanicum se emensos conjectabant:  
hinc cursum prosequentibus vigesimo tertio ejusdem mensis undarum color mutari  
cœpit & è viridi suppallidior factus, haud dubio terram non ita longe abesse, prædi-  
cere: quæ sub horam tertiam à Meridie demum illis conspecta versus Occidentem &  
Africum, & paulo post versus Austrum: aura tum à septentrione flante, cursum secun-  
dum oram versus Eurum instituerunt; vigesimo quarto mane rursus terram ad dex-  
tram conspexere, à qua vix milliare aberant: mare hic altum erat orgyas quadraginta,  
& aura flabat ab Occidente: ora autem omnis versus Euronotum se subducebat, va-  
stis & altissimis montibus qui multa nive videbantur tecti undeque obsita. 30

Hanc oram porro versus Eurum legentes, tandem ad finem illius pervenerunt cir-  
ca Meridiem, & è longinquo alias terras versus ortum conspicati sunt, non minus al-  
tis & asperis montibus conspicuas: inter utramque autem terram Fretum permea-  
bat, octo circiter milliaria, quantum conjectura consequi poterant, latum; per hoc  
aditum ad Oceanum Australem pandi haud frustra judicarunt, nam & æstu persu-  
debat, qui valide tum fluctus versus Austrum agebat: jam quatuor & quinquaginta  
gradibus & quadraginta sex scrupulis ab Äquatore discesserant versus Austrum, &  
vento ab Arcto secundante, bonis auspiciis Fretum sunt ingressi, sed vento sub ve-  
speram remittente, tota illa nocte magis ab æstu quam aura impellebantur. Hic in-  
numeræ Penguins ad oram ab ipsis visæ, in alto autem tanta grandium cetorum 40  
multitudo, ut vix declinarent.

Vigesimo quinto ejusdem mensis terræ Orientali appropinquarunt, quæ edita  
& præruptis atque divisis montibus aspera erat, & qua septentriones aspicit recta ad  
Eurum tendere visa, quantum eminus discernere dabatur; nec tamen continens cre-  
dita, itaque illi nomen Insulæ *Ordinum* imposuerunt; terram autem ex adverso illi  
oppositam Principis *Mauritii* nomini consecrarunt. Ora utriusque, arenoso littore &  
fundo leniter declivi, tutam navibus stationem promittere videbatur; avium & pi-  
scium copia obvia erat, nec aquandi opportunitas deesse poterat, sed arbores nullæ  
ipsi visæ. Porro aura ab Arcto flante, recta versus Africum pertendere, & meridie  
latitudinem dimensi, jam quinque & quinquaginta gradibus & triginta sex scrupulis 50  
ab Äquatore versus Austrum se proiectos animadverterunt. Terra autem omnis  
quæ illis dextra erat, inde ab ipso Promontorio quod Freto imminet, ad Africum  
ferebatur, vastis & asperis montibus conspicua: sub vesperam aura ab Africo reflan-  
te, proram versus Austrum obverterunt, fluusto admodum & æstuoso pelago ab  
Africo illos conquassante, è quo proclive erat judicare, vastum & profundum gurgi-  
tem ad hanc plagam pertinere.

Ingen-

Ingentes hic *Lari* (marinarum avium genus) ipsis visi & oloribus nostratibus mole pene pares, qui hominum conspectum minime formidantes, utpote insueti, in naves ultro descendebant, & se à nautis prehendi & mactari patiebantur.

Vigesimo sexto ejusdem mensis septem & quinquaginta gradibus ab Äquatore versus Austrum illos horrida tempestas ab occidente & Africo exceptit, ita ut altum petere cogerentur, terra ipsis nihilominus ad dextram in conspectu erat, tendens versus corum, ad quam noctu proram verterunt: vigesimo septimo, sex & quinquaginta gradibus & quinquaginta scrupul. ab Äquatore summum frigus & grandinem experti, vento primum ipsis adversante, versus Austrum, & mox rursus versus corum vela verterunt: vigesimo octavo, aura ipsis ab ortu favente, versus occidentem promoverunt & ipso meridie altitudinem sex & quinquaginta graduum & quadraginta octo scrupul. Australium observarunt: vigesimo nono, Euro vela implente versus Africum proiecti, sub meridiem duas insulas obvias habuerunt, quarum latus septentrionale dum legunt, potius scopulos quam insulas esse deprehenderunt; his *Barneveldii* nomen ab ipsis inditum; hinc versus corum proiecti sub vesperam rursus terram conspexerunt, quæ Fretum Magallanicum ab Austro claudit & hic oras suas versus meridiem producit, nivosis montibus horridas, usque ad Promontorium *Hornanum* ab ipsis appellatum, septem & quinquaginta gradibus & quadraginta octo scrupulis ab Äquatore versus Austrum..

Hic ventum septentrionalem nocti, versus occidentem navigarunt, æstu maris valide illos ad eandem plagam impellente. Trigesimo, latitudinem septem & quinquaginta graduum & triginta quatuor scrupulorum observarunt; trigesimo primo, octo & quinquaginta graduum: jamque Promontorio *Hornano* post se relicto & nulla amplius terra sese aperiente, ventus reflavit ab occidente, ita ut ultro citroque velificare cogerentur & jam novem & quinquaginta gradus ab Äquatore versus Austrum proiecti, duodecimo demum Februarii die se jam in ipsum Oceanum Australem pervasisse haud frustra collegerunt, & recta versus Insulas *Ioannis Fernandez* cursum instituerunt. Novum hoc Fretum à se primum tentatum & tam feliciter enavigatum *Lemairium* appellaverunt.

## C A P . XII .

*Hispanorum navigatio per Novum hoc Fretum.*

**D**imanavit statim fama novi hujus Freti à Nostris inventi, & ad aures Regis Hispaniarum pervenit, qui ann. cI<sup>o</sup> I<sup>o</sup> cxviii. Duas celoces è Portugallia dimisit sub Præfecto *Bartholomao Garsia de Nodal*, ut idem penitus lustrarent: qui vi gesimo septimo Sept. Olisipone solventes, recta ad Fretum Magallanicum contend erunt, atque eo usq; proiecti ab Arctoo ejusdem Freti Promontorio proras versus Eurum flexere & tribus & quinquaginta gradibus & viginti scrupulis ab Äquatore versus Austrum æstuarium offenderunt, quod in ipso ore circiter tria millaria latum erat, & in ipsum Fretum Magallanicum desinere existimatur. Australe Freti Magallanici Promontorium *Cabo del Espiritu Santo* dixerunt: hoc autem æstuarium *Entrada de S. Sebastian*, & Promontorium quod illi imminet *Punta de Arenas*: hinc porro versus Eurum secundum orarum ductum navigantes, primo sinum obvium habuerunt, multis scopolis & vadorum brevibus inquinatū, cuius cornu *Cabo de Penas* appellarunt.

Ora hæc omnis edita est & nivosis montibus obsita, quatuor & quinquaginta gradibus & quatuor scrupul. ab Äquatore versus Austrum: sed paulo ultra eadem multis arboribus vestita est; & quatuor & quinquaginta gradibus & quindecim scrup. ab Äquatore, terra multis sinubus & Promontoriis lacinatur: quinq; autem & quinquaginta gradibus ab Äquatore sinum offenderunt in quo duæ parvæ insulæ jacent; ora hæc omnis albicat, ita ut emintis arenosa videatur, quum petræ sint à fluctibus exesæ.

Sub vesperam ad os novi Freti pervenerunt, è quo æstus tā validere fluebat, ut aura licet favente & vela valide implente vix ægre illud ingredi possent; superato tandem aditu & circiter milliare inventi anchoras jecerunt in arenoso sinu, & exscensione facta, summam tum aquandi tum lignandi opportunitatem nocti sunt; quippe hic amniculus potari pulcherrimus in sinum descendit, & tellus arboribus opaca lum hic hærent, ab Australi plaga ad ipsos accesserunt quindecim barbari, toru

brica quadam tincti facie solum excepta, (nam frontem & genas creta quadam inficerant) partim nudi, partim ovillo vellere eadem rubrica tincto præcincti: erant inter illos duo proiectiores, qui aliis pellibus amicti erant subfuscis, & villis admodum lenibus, capita testi Larorum exuviis quibus plumas detraxerant, lanugine tantum relicta: arma ipsis erant arcus & sagittæ, lapillis quibusdam asperatae, è quibus & cultellos gestabant: collo circumdederant redimicula elegantibus conchulis, albis & splendentibus variegata, cingulo coriacio supra lumbos cincti: Idioma ipsorum nullatenus intelligere poterant Hispani, siquid dicerent aut peterent, *Hoo Hoo Hoo* ingeminabant: à cibo & potu Hispanorum prorsus abhorentes, tantum luteis quibusdam floribus (qui Calthæ nostrati non absimiles videbantur) & herba illorum subamara, <sup>10</sup> quæ ibi passim magna copia crescit, vescebantur: à consortio advenarum non tantum non abstinebant, sed & ipsis in aquando & lignando ultiro subsidio erant, arma sua antequam propius accederent humi projicientes: in adverso sinu latere supra quinquaginta ejusmodi barbaros videre erat, qui humiles casas è stipitibus coagimentatas & arundinibus tectas habitabant, in quibus nulla supellex, tantum vacuae muscularum conchæ deprehensa: barbari denique hi non indociles visi, nam nullo pene negotio orationem Dominicam recitare didicerant, antequam Hispani discederent.

E sinu hoc proiectos æstus refluens rursus extra Fretum abripuit & ad terram versus orientem vexit, ubi mare ita altum erat, ut prope terram bolide frustra fundum tentarent: Hinc denuo à fluctibus & vento intra Fretum acti, cursum versus Africum instituerunt: & aliquot diebus ab aura & æstu hac illac jactati, tandem promontorium *Hornanum* superarunt, & pone illud sinum ingressi, aliquot insulas offendebant, meras petras & nihil herbidi sortitas, ora autem in ipso sinu nivosis montibus vaste attollitur, sex & quinquaginta grad. & viginti duobus scrupul. ab Äquatore (ut ipsi observant:) haud longe hinc portus jacet qui non incommodus visus; Hic acre frigus & sævam grandinem atque nivem perpessi rursus à vento & fluctibus versus Promontorium sunt retro acti: sed tandem decimo nono Februar. ad altitudinem sex & quinquaginta graduum & triginta scrupulorum pervenerunt: atque sensim declinando vigesimo tertio ejusdem mensis ad altitud. trium & quinquaginta graduum & quatuor scrupulorum, semper versus Corum profecti; atque hic prora versus Ortum versa ad Australe Freti Magallanici ostium appulerunt, quod vigesimo quinto ejusdem mensis ingressi, feliciter enavigarunt, & Mare Atlanticum ingressi, *Pernambuco* in itinere salutato, incolumes Hispalim redierunt, nono mensis Julii anno cl<sup>o</sup> I<sup>o</sup> cxix. Novem mensibus & aliquot diebus memorabili hac expeditione absoluta.

## C A P. XIII.

*Expedition Classis Nassavicae per Fretum Lemarium in Oceanum Meridianalem.*

40

**P**ORRO vigesimo tertio die Aprilis anno cl<sup>o</sup> I<sup>o</sup> cxxiii solvit è *Goerea* notisimo Hollandiæ portu, undecim magnarum & instruētissimarum navium Clas- sis, quam *Nassavicam* nostri vocabant, auspiciis Illustriss. D.D. Ordinum Generalium & invictissimi & æternæ memoriæ Principis Mauriti, Archithalasso *Iacobo Heremita*; eo consilio ut per Fretum hoc *Lemarium* in Oceanum Australem penetra- rent; omnia quæ illis primis navigationis mensibus acciderunt, hic non dicam, quippe alienora ab hoc loco, sufficiet intelligere, illos cum paulo maturius quam opus erat, ab ora Africæ solvissent, ab æstu & malacia versus *Guineam* & vicinas insulas abdu- ctos, multum miseriarum & morborum ibidem fuisse perpessos & alio longe cursu, <sup>50</sup> quam præcedentes ad Fretum *Lemarium* pervenisse.

Nam America meridionali nequidem visa, quum xxx Ian. anno cl<sup>o</sup> I<sup>o</sup> cxxiv ad altitudinem duorum & quinquaginta grad. & triginta scrupul. ab Äquatore versus Austrum essent proiecti; primo Februarii *Terram Australem* eminus con- spexerunt & secundo ejusdem mensis, ipsum Fretum haud dubiis signis recogni- tum sunt ingressi; & meridie quum jam terræ quæ ingredientibus sinistra est & à nostris

nostris D.D. *ordinum* terra vel Insula appellatur, promontorium Australe pene superasset, altitudinem demensi, quinque & quinquaginta gradus & viginti scrupula ab Äquatore versus Austrum deprehenderunt: postero autem die sex & quinquaginta: denum sexto ejusdem mensis die Promontorium *Hornanum* eminus viderunt, sed vento adversante illud superare non poterant, itaque velis versus Austrum versis aliquot diebus ultro citroque compearunt: tandem vento remittente decimo quinto ejusdem Promontorium *Hornanum* superarunt, verum ab hoc ultra tendentes, vento à Coro vehementius incumbente reverti coacti fuerunt, & ne rursus præter Promontorium ab æstu traherentur, decimo septimo ejusdem mensis canalem qui huic promontorio ad occidentem proximus est & valide in terras illas irrumpit, ingressi visum fuit, quem *Nassavicum* dixerunt.

Dum autem cum adverso vento luctarentur, duas insulas offenderant hactenus incognitas, quæ circiter quatuordecim aut quindecim milliaribus à dicto promontorio absunt versus occidentem. Hic cum aquandi gratia in terram exscendissent, barbari aliquot ad nos venerunt, nihil hostile comminantes, verum cum novemdecim nostrorum noctu in terra fuissent relicti & incautius agerent, omnes, duobus tantum exceptis, à barbaris partim sagittis transfixi, partim clavis ligneis fuerunt mætati, nec ulli barbari hic postea visi: dum hic hærent celocem suam dimiserunt, ut locorum situm penitus inspicerent; ea primum ad Arctum recta profecta, sinum quendam invenit, ad quem varii barbari incolebant, à quibus nihil hostile sunt passi: Dein versus Ortum flectentes, pone insulam quandam ab æstu maris ducti fuerunt, quam *Terthalthenam* dixerunt; & vento ab ortu reflante ad classem redierunt.

Hoc loco sævas tempestates & ventorum turbines ab Occidentali plaga venientes perpessi sunt & ad vigesimum septimum hujus mensis substiterunt: tum rursus velis explicatis progressi sunt, sed vento vehementius ab occasu impellente, majoribus tantum velis uti dabatur; donec primo Martii vento à Septentrione flante cursum versus Corum instituerunt; & secundo quidem ejusdem mensis latitudinem novem & quinquaginta graduum; tertio novem & quinquaginta graduum & quadraginta quinque scrupul. quinto rursus octo & quinquaginta graduum & quadraginta scrupulorum; septimo sexaginta gradibus & quindecim scrupulis: octavo denique unius & sexaginta gradibus altitudinem dimensi; deinceps ab ea altitudine sensim declinarunt & decimo quarto rursus octo & quinquaginta graduum altitudine deprehensa; & vigesimo quarto ejusdem septem & quinquaginta graduum; & denique vigesimo quinto, quinque & quadraginta graduum & triginta scrupulorum: Hic constantem auram ab Austro nacti Insulas *Ioannis Fernandez* feliciter adnavigarunt.

## C A P . XIV.

40 *Terræ Australis & Barbarorum hanc incolentium descriptio.*

**H**AUd dubiis nostrorum experimentis demum constitit, terram hanc Australem quā Magallanes *Terram del Fuego* appellaverat, in variis insulas dissestam esse, per quas varii canales partim in Fretum Magallanicum, partim in ipsum Oceanum Australe ducunt. Porro terra hæc Australis maxima sui parte montosa est: inter montes autem subsident valles pulcherrimæ, & vernantes campi, qui à pluribus torrentibus & rivulis, qui ab altissimis montibus descendunt, irrigantur, solo variis locis egregie herbido: inter insulas autem perplures sunt sinus, & stationes navibus haud infidæ, ubi & aquandi & lignandi opportunitas est & saxonum copia ad faburram onerandam. Montes qui ex alto prospicientibus asperi & infœcundi apparent, variis arboribus amœne vestiti sunt, quæ omnes versus Ortum sese inclinant, à vehementibus ventis qui hic pene continuo ab Occidente aut Africo perflant, impulsæ. Solum horum montium quibus hæc arbores innascuntur, leve est & solutum, & haud supra binos aut ternos pedes altum, sub quo petræ & saxa latent.

Temperies aëris hic supra modū ventosa est, nā copiose exhalationes è vicino oceano qui

qui vastè patet, & plurimis fretis, quæ insulas intersecant, creberimas procellas & tempestates generant, dū fere continuo ab occidente versus orientem propelluntur.

Indigenæ harum insularum naturâ candidi sunt coloris, quemadmodum Europæi, uti in infantibus recens natis videre est, sed cutem rubrica quadam inficiunt, & corpora sua variis modis pingunt; nam quidam illorum faciem, brachia, crura & alia membra rubrica illa tingunt, cætera candidi aut variegati: alii medium tantum partem corporis eundem in modum pingunt, alii denique alio modo. Corpore sunt agili & membris bene compositis, statura nostratibus æquali, aut quæ non multum excedit: capillis sunt nigris, quos ad terrorem promittunt; acutis dentibus: mares fere nudi agunt nec pudenda sua ulla tenus tegunt: fœminæ vero eadem exiguo corio obvelant, haud secus quam mares variis modis pictæ & circa collum conchis quibusdam ornatæ: Pauci illorum humeros & tergum phocarum exuviis tegunt, exiguo adversus frigus munimento, ut mirum videri debeat, quo pacto hyeme intensius frigus perpeti possint.

Tuguriola illorum ex arbustis in orbem dispositis compacta sunt & circa tectum tentiorum in modum fastigiata & aperta ad fumum emitendum humo interius ad pedes binos egesta & exterius aggesta: in his nullam suppellectilem invenias, præter corbes è juncis quibusdam contextos, quibus retia sua condunt; nam funes aptare norunt, quibus hamos è lapillis affabre factos appendunt & musculos escæ loco affigunt, iisque abunde pisces in usum suum capiunt.

Arma illorum sunt arcus & sagittæ acutis lapillis industrie asperatae; oblonga jacula officulis acutis & recurvis ut carni infixæ tenacius hærent, circa cuspidem armata; præterea ligneæ clavæ & fundæ quas valide contorquent, denique cultelli lapidei admodum acuti: hæc arma perpetuò circumgestant, ob bella internecina quæ perpetim gerunt cum aliis barbaris, qui magis versus ortum incolunt, & corpus nigro colore tingunt, quemadmodum hi rubro.

Cymbæ illorum affabre factæ sunt, quas è corticibus vastæ cujusdam arboris ita cogunt & consuunt, ut cymbulæ Venetæ pene formam adipiscantur, dein carinam interius transversis stipitibus firmant & rursus corticibus desuper tegunt & firmiter devinciunt: sunt ex ut plurimum decem aut duodecim, vel etiam sedecim pedes longæ & binos latæ, & septem aut octo hominum capaces, has remigio velocissime impellunt.

Gens hæc admodum barbara est, nam præterquam quod crudis, etiam humanis carnibus, vescantur, ne scintillam quidem religionis aut politici regiminis obtineant, ita penitus omni pudore vacui sunt, ut astantibus, nisi caveant, immingant; ingenio sunt versipelli, pravoque, nam licet advenis prima facie adblandiri videantur, omnes industriae nervos intendunt, ut incautos obruant & trucident.

In hisce insulis & animalia quædam degere, non levibus indicis constitit; nam illi quos pone Insulam Terhalenam in anchoris stetisse supra retulimus, testantur se animalium gregem in viridi alle pascentem eminus conspexisse.

### C A P. XV.

#### Magallanicæ ora quæ ad Mare Atlanticum jacet, descripta secundum Hispanos.

**P**A R s illa Magallanicæ quæ ad mare Atlanticum jacet, & ab ostio Freti sive quinquagesimo secundo gradu & triginta scrupulis ab Æquatore versus Australium, ad trigesimum sextum aut circiter ejusdem latitudinis gradum & æstuarium magni fluminis *de la Plata* pertinet, vastas provincias complexa, tantum obiter nota est, & sicuti à variis nationibus lustrata fuit, ita & varia nomina diversis locis sortitur: Nos hic primum de Hispanorum observationibus agemus. E quibus *Herrera* in descriptione sua Indiarum ista prodidit.

In intervallo (inquit) circiter quadringentarum leucarum, secundum orarum duætum, à Fredo Magallanico ad æstuarium fluminis *de la Plata*, qua fere inter Aquilonem & Africum jacent, primum sese offert fluvius vulgo *Rio de S. Ilefonso* duodecim leuc. à Promontorio *Virginum*, dein *Rio Gallego* & sinus *S. Iacobi*, & quatuordecim ab hoc

hoc leuc. Flumen *S. Crucis*, quinquaginta gradibus ab Æquatore, cuius ostio insula exigua objacet quam vulgo vocant *de Los Leones*; deinceps portus *S. Iuliani* novem & quadraginta gradibus ab Æquatore; & fluvius *Ioannis Serrani*, atque insulæ quas vocant *de los Patos* septem & quadraginta gradibus ab Æquatore, & flumen de *Cana-*  
*nor* quinque & quadraginta gradib. ab Æquatore. Promontorium *S. Dominici* & *de*  
*tres Puntas*, & terra *de los Humos* octo & triginta gradib. ab Æquatore; cornu *S. Helenæ*  
& *S. Apolloniae* septem & triginta gradib. ab Æquatore. Denique Promontorium *Blancum*; quod australe fluminis *de la Plata* latus claudit.

Alii paulo accuratius eandem oram describunt; & à Promontorio australi fluo minis *de la Plata* (quod vocant *S. Antonii*) ad promontorium *de Arenas Gordas* numerant leucas octo & quadraginta; intermedio autem spatio designant fluvium *S. Annae*, cuius ori vadorum brevia adjacent.

Porro à Promontorio *de Arenas Gordas* ad Promontorium *S. Andreae* leuc. triginta & unam; intermedio spatio multi sunt sinus & varii amnes, sed omnes importuosí & arenarum pulvillis atque vadis obstipati.

A Promontorio *S. Andreae* ad sinum *Anegadum* triginta leucæ, quadraginta gradibus ab Æquatore.

A sinu hoc ad cornu terræ quod vocatur *Punta de Terra Llana* viginti quinq; leuc. uno & quadraginta grad. & triginta scrup. ab Æquatore; ab hoc ad sinum *Sine Fundo* 20 quinq; & triginta leuc. duobus & quadraginta grad. & triginta scrup. ab Æquatore.

Ab isto ad Promontorium *Rotundum* & portum *Leonum* septem & triginta leucæ. Toto hoc intervallo ora omnis importuosa est, nec ulla statio majoribus naviis fida occurrit. Portus autem *Leonum* abest ab Æquatore quatuor & quadraginta gradibus.

Ab hoc ad Promontorium *de Matas* triginta leucis inter Arctum & Austrum. Intermedio autem spatio sinus jacet, oblongus & octodecim leucis à Promontorio *Rotundo* exit fluvius in mare qui vulgo dicitur *Rio de Camarones*, ostium illius designant innumeræ cochlearæ albæ & exiguae, quæ fluctibus innatant, unde illi nomen. Promontorium hoc *Rotundum* abest ab Æquatore quinque & quadraginta gradibus & triginta scrupulis.

30 Ab hoc ad Promontorium *Blancum* sunt leucæ duæ & triginta; ab Æquatore versus Austrum gradus septem & quadraginta. Promontorium hoc sex albicantibus tumulis conspicuum est, supra quos planicies eminet, arborum luce opaca; ad hanc oram plurimi barbari degunt, qui à navigantibus caute vitandi sunt.

Ab hoc promontorio ad portum *S. Iuliani* sunt leucæ septem & triginta, novem *S. Julianæ* & quadraginta gradus ab Æquatore versus Austrum: hunc ex alto venientibus indicant præalti montes, qui ostio imminent & è longinquo turrens videntur: ingredientibus dextrum latus stringendum potius, quam sinistrum, ibi enim altior & tutior alveus jacet: interius duæ insulæ sunt sparsæ, sub quibus anchoræ jaciuntur: Inter Promontorium istud & hunc Portum in alto objacent octo *Ascensionis* insulæ

40 Ab hoc portu ad *Morro de S. Ynes*, quinquaginta gradibus ab Æquatore, leucæ sunt quinque & triginta; tota hæc ora humilis est & tantum uno monte attollitur: à quo ad flumen *S. Crucis* sunt octo leucæ, novem & quadraginta gradibus ab Æ- *S. Cruz*. quatore uti à *Magallane* fuit observatum, qui hic duos menses substitit, & testatur indigenas proceritate corporum Europæos multum superare.

Ab hoc ad flumen *Galleorum* sunt leucæ viginti quinque, duobus & quinquaginta gradibus & decem scrupulis ab Æquatore: & denique ab hoc ad Promontorium *Virginum* octo leucæ.

## C A P . XVI.

50 *Eiusdem oræ descriptio secundum Anglos & Belgas.*

**F**ranciscus Dracus qui primus post Hispanos hanc oram attigit, ab æstuario fluminis *de la Plata* sex septemvæ leuc. proiectus, sinum est ingressus pone Promontorium quod *Cape Ioye* appellavit; & hinc digressus alium item sinum sex & triginta grad. & viginti scrup. ab Æquatore, qui per opportunum portum aperit, & flumen, quem eousque ascenderunt, donec tantum trium orgyarum altitudinem deprehende-

henderent: ab hoc nullum amplius portum aut Stationem navibus fidam potuerunt invenire, sed septem & quadraginta gradibus ab Aequatore ob ingruentem tempestatem anchoras jacere coacti fuerunt, pone Promontorium, quod *Cape Hope* dixerunt, quasi dicas Promontorium boni ominis, & mox sinum sunt ingressi haud importuosum, ubi & barbaros aliquot viderunt & cum iisdem perfamiliariter egerunt; erant autem agiles corpore & membris bene compositis, pernices & satis, ut videbatur, industriae. Hinc ad alium portum promoverunt septem & quadraginta gradibus & triginta scrupulis ab Aequatore; ubi similes barbaros offenderunt, faciem diversis coloribus pictos, & solummodo villoso feræ alicujus tergore præcinctos; qui cum ipsis quidem perfamiliariter commercium exercebant, sed nihil ab ipsis sumere sustinebant, nisi ante in solum projectum, id *Toyt* appellabant, uti ipsam permutationem mercium *Zullus*, si vero quid minus ipsis placeret, statim ex intimo gutture *Corob Corob* ingeminabant.

Ad Australem hujus sinus plagam fluvius egreditur, plurimis insulis divisus, quarum quædam incredibili phocarum copia abundabant, aliæ omnis generis volucribus: Huic nomen *Seale Baye*, id est, phocarum sinus, nomen indiderunt.

Hinc porro ad sinum *S. Iuliani* pervenerunt novem & quadraginta gradibus & triginta scrupulis ab Aequatore versus Austrum. Hic quoque varii barbari ab ipsis visi; testantur autem Angli *Magallanum* haud penitus falsum, cum hos gigantes appellaret, quippe, ut plurimum & proceritate corporis & membrorum mole atque robore communem Europæorum sortem superare, licet non pauci in Anglia reperi possint, qui nihil hisce concedant. Atque ita denique Fretum attigit.

*Thomas Candiskius* qui illum secutus est, primum hanc terram attigit septem & quadraginta gradibus & viginti scrupulis ab Aequatore, & inde secus oram proiectus, sinum ingressus est quem *Port Desire* appellavit septem & quadraginta gradibus & quinquaginta scrupulis ab Aequatore, uti ab ipsis observatum: hic sinus percommodum & tutum portum præbet, navibus quere reficiendis perquam idoneum, ob insignem æstuum reciprocationem: in ipso aliquot jacent insulæ, quæ multitudinem phocarum administrant, sunt autem hæ formæ admodum monstrosæ, quippe superiori corporis parte Leonibus non absimiles & longis villis jubatæ: fætus suos 30 ube-ribus lactant, & in terra educant, licet alimenta ex alto petant: juniorum caro admodum tenella & grati saporis, ita ut assa, coctave à vitulina non multum differre videatur. Hic & *Penguinum* copiam reperire est. Barbari majoris staturæ hic ipsis visi, sed qui ipsorum occursum penitus devitarent.

Adiit eundem portū postea *Oliverius à Noord*; qui nullos quidem barbaros primum ibidem vidit, sed tantum sepulchra aliquot eorumdem offendit, grandibus saxis atque rubrica desuper tinctis, accumulata; & sagittis plumisque avium in circuitu ornata. Intra continentem cervi ab ipsis conspecti, & bubali & struthionum greges, & in uno nido supra novemdecim ova inventa. Dehinc paulum interius proiectus, pone insulam exiguum naves stitit & refecit; ipse cymba subiectus donec vado hærerent, 40 sepulchra ad eumdem modum repperit, quibus præter cætera aliquot ferris cæsura impositæ erant, haud dubio ab Hispanis acceptæ. Reversi ad naves & ad arctoam plagam barbaros conspicati, in illam partem exscenderunt, & cum barbaros non viderent, ad interiora progressi sunt; interim barbari eos qui ad cymbam servandam reliqui erant inopinantes aggrediuntur, & tres eorum occidunt: Nostris postea incassum illos indagantibus.

Post hunc *Scoutenus* hunc quoque portum adiit & eumdem accurate delineavit, uti in editis illius commentariis videre est.

In latitudine hujus portus tradenda multum inter se variant nostri, *Oliverius* enim sex & quadraginta gradibus & quinquaginta quinque scrupulis ab Aequatore 50 abesse scribit: *Scoutenus* vero quadraginta scrupulis supra septem & quadraginta gradus; ita ut dubitem an uterque de eodem sinu loquatur, quanquam non est novum apud nauticos homines interdum in ejusmodi observationibus aliquantum differre, pro instrumentorum bonitate aut dimetientium attentione; vel etiam industria.





